



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro  
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad  
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones  
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

**Dusault, Nicolas**

**Coloniæ Agrippinæ, 1660**

§. 3. Mens authoris in hoc quarto libro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

à nostra industria, sed ab ejus Providentiâ  
 facile est omnia pro voto nostro providere  
 Abijt Minister imperata facturus : reverens  
 deinde ad Rectorem cognovit totum nego-  
 tium expeditum modo inusitato , & ut  
 videbatur, prorsus miraculoso. Vides Deum  
 non minus liberalem esse in promittendo  
 quàm fidelem in præstando ea quæ promittit  
 sperantibus in se. Suscipit in se curam rerum  
 nostrarum, easque expedit sine labore & o-  
 perâ nostrâ. Spera in Deo & ipse faciet : fide  
 illi nihil hæsitans. Desiderijs tuis morem ge-  
 ret & vota complebit modo , quo tu magis  
 sperabas, & cum desperatum putares,  
 videbis successum qualem optare poteras.

## §. III.

*Mens Authoris in hoc quarto libro,*

**Q**uando ergò in Deum fiducia tanta  
 tutis est, quid non debemus facere ut eam  
 consequamur, & acquisitam quanto studio  
 opus est ac diligentia, ut eam conservemus.  
 Hos duos fines hoc quarto libro proponere  
 habeo ut perficiam opus quod institui. Nam  
 posteaquam ostendi per effectus, quos ipse  
 producit, & per motiva quibus inducitur ad  
 ejus amorem, quam præclara sit virtus  
 fiducia in Deum, superest ut adjiciam

derationes aliquas potentes, quarum benefici-  
cio constantem huius virtutis exercitacionē  
suscipiamus, regulasque inveniamus infalli-  
biles, quibus sine errandi periculo ad tam uti-  
le atque necessarium exercitium perduca-  
mur.

CAPUT I.

Primum medium conservandi Fiduciam in  
Deum. Consideratio divinæ Ma-  
jestatis.

§. I.

*Excellentia divina Natura.*

Potestas & imperium quod Deus in ho-  
mines obtinet, non est jus acquisitum aut  
usurpatione, aut hæreditate, aut electione,  
aut pretio, aut vi, aut industriâ, aut donatione  
aut resignatione aut præscriptione aut alio  
quovis titulo legitimo seu illegitimo, quibus  
reges & principes terræ solent populos suæ  
dominationi subijcere. Sed ex eo quod ipse  
est principium, fons & origo rerum omnium,  
absolutus est omnium quæ Deus non sunt,  
Dominus, nec illud à se potest Dominium  
ulla ex parte abdicare. Unde sicut impossibi-  
le est ut quidquam habeat aut acceptum aut  
obnoxium creaturis, ita hæ ab ipso ut pen-  
deant

S

deant